DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-CHIRURGICA

SISTENS:

OBSERVATIONES

CIRCA

ERMAGNUM VULNUS ARTICULI GENU,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
RATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA,
UT SUMMI
N MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XXV. M. OCTOBR. A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
AROL. JULIUS THEOD. SYDOW,
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. SCHIEGNITZ, MED. ET CHIR. DR.
W. SINSTEDEN, MED. ET CHIR. DD.
H. HEDINGER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

GUIL. AUG. ED. BREMER,

MEDICIN. ET CHIRURG. DOCTORI, INSTITUTI REGII VACCINATIONI DICATI DIRECTORI; ORDINIS REGII CRUCIS FERREAE EQUITI; COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC.

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Integrum per annum, quo in nosocomio caritatis ad medicinam practicam incumbere mihi licuit, inter tot et tam diversos aegrotos, per tempus illud in nosodochium receptos, unus exstitit, vulnere genu penetrante adeo singulari conspicuus, ut dissertationis inauguralis argumentum ab eo desumendi, ipsamque morbi historiam opusculo addendi, consilium caperem. Huc illuc circumspiciens, quid artis nostrae professores de articulorum vulneribus disseruerint, haud parum miratus sum, prosperam eorum sanationem in iis adeo exemplis contigisse, quibus cartilagines et ossa sauciata, quin imo diffracta et comminuta essent. Quamquam vulnus aegroti, de quo dicturus sum, caruit complicationibus, itaque minus periculi obtulit, tamen rem descriptu haud indignam censui.

Et morbi et aliae rationes, quibus implicabar, scribendi consilium ita mutare me jusserunt, ut morbi historiam non calci dissertationis subjicerem, sed fida ejus adumbratione hasce pagellas complerem. Lectores benevolos juvenile opusculum non nimis esse vituperaturos, spero et confido.

Augustus Z. lanius, unius et viginti annorum, natus parentibus sanis, adhuc vivis, hucusque integerrima viguit valetudine, quod corpus validum ac robustum et vegetus faciei color, habitu apoplectico aliquantulum fotus, contestari videntur.

Die vicesimo quinto mens. Junii A. 1828 parum cauto accidit, ut culter librarum centum et octo, quod aeger manu tenebat, genu dextrum percuteret. Causae ignarus subito corruit, donec pedis immobilitas et sanguis per vestimenta scaturiens efficerent, ut de vulnere meditaretur, quamquam corruens nihil animadvertisset. Semotis vestibus, vulnus ingens promtissimum auxilium requirere, adstantes viderunt.

Chirurgus arcessitus quatuor locis suturam instituit cruentam aegrotumque haud mora ad caritatis nosocomium deferri jussit. Facta exploratione vulnus apparuit, quatuor fere dimidiumque pollicem in longitudinem patens, circa anteriorem genu dextri partem, marginibus integris plane circumscriptis instructum, qui suturis quatuor cruentis vix continebantur ideoque, quum disrumpi minarentur, forficis et vulsellae ope protinus submovebantur. His peractis vulnus hiabat melioremque disquisitionem largiebatur. Culter proxime super dextra patella ita penetrarat, ut circa externum latus minus alte descendisset, vulnus enim ab exterioribus versus interiora, a superioribus ad inferiora perrexit. Synovia, dissectis suturis largius effusa, pauxillo sanguinis coagulati intermixta, cavum articulare patefactum esse, nobis persuasit.

Superior patellae margo oculis sese obtulit, ac vulnus tantae magnitudinis et amplitudinis fuit, ut

digitum auricularem sine ullis aegroti incommodis demittere nobisque persuadere liceret, membranam capsularem in anteriori genu latere penitus dissectam, cartilagines autem ossaque integra existere et corpus alienum vulneri non inhaerere. Valetudo aegroti satis bona, pulsus modo paullulum irritatus, secretiones et excretiones integrae, animus hilaris fuit, siquidem aeger, doloris expers, omni periculo se vacare existimavit.

Proinde crus porrigebatur, modice flectebatur isteque situs subjectis linteis sustinebatur, duodecim hirudinibus circa vulnus applicatis unguentoque hydrargyri cinereo inuncto, pars linteo crasso, splenii instar complicato et aqua glaciali imbuto, omissa deligatione, tegebatur internumque ad usum haec imperabantur:

Rec. Emulsion. papaver. (e semin. parat.) ℥vj
Nitri depurati ʒjj
Syrupi simplicis ℥j
MDS. alternis horis cochlear majus hauriatur.

Dies morbi secundus. (26. Jun. 1828.)

Aeger bene conquieverat noctu et fuit expergefactus hilari animo. Circuitus vulneris tensus, tactu doluit, temperies corporis aliquantum adaucta, pulsus duriusculus apparuit, quam ob rem libra sanguinis una cum dimidia per venaesectionem detracta, duodecim hirudines impositae et unguentum hydrargyri cinereum inunctum est; aeger cibos potusque appetiit et medicinae usum supra dictum continuavit.

Dies tertius.

Valetudo nostri in pejus erat mutata; dolores locales perstituerunt, totius corporis temperies augmenta cepit, caput temulentum fuit et cum praecordiorum tendore lassitudo aliqua extitit; dolorum causa hirudines duodecim iterum applicatae et, continuato medicinae superioris usu, laxans salinum e natro sulphurico imperatum est. Vulnus ex quo synovia satis larga profluxit, mutationem essentialem non expertum, fomentis glacialibus citra ligaturam curabatur.

Vespertino tempore motus febriles manifesti valetudinem universam haud mediocriter disturbarunt; solutio natri sulphurici ter alvum laxavit aegrotoque aliquantum hilaritatis reddidit.

Dies quartus.

Febris adaucta somnum turbaverat, pulsus frequentior, plenior duriorque exstitit; lingua flavido alba, cutis sicca et ardens, sitis permagna, os aridum fuerunt.

Detracta sanguinis libra, circa vulnus, tactu dolens, hirudines duodecim collocatae sunt; vulnus rubrum et vegetum, magno calore admodum turgescit ac tendoris sensum efficit.

Vespertina exacerbatio febris, per omnia phaenomena increscentis, intensa fuit; vulnus admodum tensum atque dolorificum, viginti quatuor hirudinum applicationem flagitavit. Ut alvus tarda citaretur ac derivatio obtineretur imperata sunt haec:

Rec. Magnesiae sulphuricae ℥j
Mannae electae ℥ß
Aquae fontanae ℥vj

MDS. horis alternis cochlear majus sumatur.

Usus emulsionis papaverinae suspensus, fomentorum frigidorum vero continuatus est.

Dies quintus.

Vulnus madescere coeperat atque turgescentiam exuit; synoviae profluvium decrevit, febris charactere synochico insignis, perduravit. Dolorum vulneris causa iterum hirudines duodecim applicatae et haec medicina imperata est:

Rec. Kali nitrici ℨjj
solve in
Aquae fontis ℥vj
Sol. liquiritiae ℥ß.

MDS. binis horis detur cochlear majus.

Dies sextus.

Motus febriles sese remiserunt, pulsus mollior et aliquanto tardior apparuit, vulnus minorem turgescentiam et pus bonae indolis obtulit, synoviae profusio exigua perstitit. Quum vulnus adhuc doleret, circa ejus peripheriam hirudines duodecim locatae, ipsum vulnus linamento sicco obtectum, fomenta glacialia superimposita, intus kali nitricum propinatum est. *Vespere* pulsus adhuc febrilis, verumtamen exorta suppuratione multo convenientior normae, sitis moderatior, temperies exilior fuerunt, attamen vires aegrotantis attenuari coeperant. Alvi excretiones regulares exstiterunt, urinae secretio normalis et febris indoli inflammatoriae consentanea. Aeger victum refrigerantem parcum majori cum appetentia hausit, quam die praeterito.

Dies septimus (1 Jul. 1828).

Aeger male valuit, temulentiam enim capitis, dolores et lassitudinem conquestus est; facies colorem vegetum exuit et in hilaritatis locum morositas atque pusillanimitas successerunt. Vulneris sup-

puratio copiosa evasit et synovia effusa acorem concipit, ut cutis anguli externi vulneris aliquantum excoriata sit; impositum est linamentum siccum, cui fomenta frigida superdata sunt. Inflammatio vulneris, nondum penitus fracta, duodecim hirudinum applicationem exegit, quamquam inflammatoria febris indoles cesserat.

Dies octavus.

Vires magis magisque labefactae, facies pallida, nasus augescente macie acuminatior, oculi in orbitas relapsi, labia coloris vegeto-rubri expertia comparuerunt, capitis temulentia haud desiit, nausea omniumque ciborum fastidium, lingua flavido squalore tecta, praecordiorum tendor, accesserunt. Pulsus frequens fuit, parvus atque mollis, cutis antea sicca et ardens, madescere coeperat; alvinae excretiones regulares, verumtamen faeces durae et parcae, qualitate non mutatae, exstiterunt. Suppuratio vulneris laxi accrevit, pus tenue prodiit; at medela antiphlogistica suspendi non potuit quum singularia vulneris loca dolores moverent. In locum kali nitrici indigestionis causa haec substituta sunt:

Rec. Natri sulphuric. ℥j
solve in
Aquae fontis ℥vj
Sol. liquirit. ℥ß.

MDS. bihorio cochlear majus propinetur.

Dies nonus.

Status valetudinarius modo descriptus perduravit, vulnus impuritatem adscivit coloremque cinereum, pus tenue ac foetidum evasit, granulatio laxa, facile sanguinem fundens, praecipue in dimidio vulneris inferiori, propter subditam patellam magis

elevato, effloruit, quam ob rem hoc unguentum per ligaturam applicatum est.

Rec. Unguent. basilic. ℥j
Tinct. myrrhae ʒj
M.

Ligaturae fomenta e glacie superimposita, loco cuidam dolenti unguentum hydrarg. ciner. inunctum est.

Dies decimus.

Valetudo ambigua mansit; crebrae horripilationes, imprimis post meridiem et sub vesperem, aestu fugaci nec raro sudoribus localibus exceptis, supervenerunt; aeger exhaustus et pusillanimis, ciborum appetentia nulla, sitis ingens, pulsus mollis et plenus, ictuum nonaginta quinque, exstiterunt. Vulnus in universum purius, pus minus foetidum apparuit, quapropter ligatura continuabatur.

Dies undecimus.

Somnus aegroti, magna conspicuus inquiete, tam aestu quam sudoribus, noctu erumpentibus, disturbatus fuerat; febris indolem hecticae prae se tulit. Suppuratio profusa, granulatio luxuriosa, laxa, facile sanguinem edens, in conspectum prodierunt. Synoviae profluvium, licet parcum, continuit et conglutinationem anguli vulneris externi prohibuit. Quamquam finitima caruerunt dolore, tamen medelam internam et ligaturam continuari placuit.

Dies decimus tertius.

Febris atroces praestitit insultus sudoresque adeo fuerunt profusi, ut lintea permutari oporteret. Quum alvi excretiones ad normam responderent ciborumque appetitus non ex toto abesset, diaeta magis nutriens instituta et internum ad usum haec imperata sunt.

Rec. Acidi sulphurici ʒj
Aquae fontis ℥vj
Syrupi simplic. ℥jj.
MDS. binis horis cochlear majus hauriatur.

Quum vulnus omni careret dolore, fomenta frigida suspensa et suppurationis profusae gratia deligatio sicca administrata est.

Dies decimus quartus.

Vires aegroti summam exhibuerunt labem, febris cum sudoribus exhaurientibus perstitit. Ad levandam sitim inimicissimam propinata sunt haec:

Rec. Acidi sulphurici ʒj
Syrupi Althaeae ℥jj
MDS. potibus admisceatur.

Dies decimus sextus.

Ut irritatio demulieretur, quam effusa synovia concitavit, infusum chamomillarum tepidum in articulum injectum, ligatura et medicamina mutata non sunt. Circa externam genu faciem, supra caput fibulae dolor profundus per exiguum ambitum sine cutis rubedine ortus erat, qui digiti pressione augebatur, quocirca unguentum hydragyri cinereum, nec non clysma aperiens imperata sunt.

Dies decimus septimus.

Febris symptomata increverunt, vulneris indoles maligna apparuit. Inter suppurationem profusam granulatio tantum obtulit luxuriem, ut lineas aliquot super vulneris margines emineret; hanc ob rem totum inferius dimidium vulneris circiter lineam aluminis usti pulvere consitum et linamentum unguento simplici illitum, superimpositum, superior pars, minus luxuriosa granulatione insignis, unguento supra dicto deligata est. Dolores supra caput fibu-

lae intensiores fuerunt locusque levi rubedine notatus. Febris augmentum et reliquorum symptomatum magna cum probabilitate ratiocinari jusserunt inflammationem profundiorem satis excultam atque in suppurationem transituram. Medelam stricte antiphlogisticam et virium prostratio et vulneris atonia, abscessus maturationem vero febris hectica ingens vetuerunt. Idoneum tamen visum est, continuata medela interna, hirudines octo ad locum inflammatum, dolentem atque tensum admoveri, unguentum hydrargyri cinereum infricari, clysma applicari summamque partis aegrotantis quietem foveri.

Dies duodevicesimus.

Quod valetudinem universam attinebat, aeger pejus habuit, sudores nocturni profusiores, quam antea unquam, exstiterunt summamque aegroto inanitionem intulerunt, quum lintea iteratis vicibus mutari oporteret. Alumen ustum, inferiori vulneris dimidio inspersum, pure nondum fuit solutum, in superiori autem parte suppuratio profusior atque malignior evasit; ista pars infuso chamomillarum purgata totumque vulnus linamento sicco contectum est. Dolores genu exiliores fuerunt, quamobrem pauxillum tantum unguenti cinerei inunctum est. Clysma, praeterito die adhibitum, duas alvi excretiones movit capitisque temulentiam aliquanto temperavit.

Dies undevicesimus.

Febris non alia fuit, ac die praeterito magnumque excitavit metum, ne vita aegroti summe exhausti periclitaretur; dolor genu haud mediocriter exasperatus erat. Maxime id cavendum esse putavimus, ne quid abscederet, quamquam prosperum

hujus methodi eventum vix sperare liceret. Denuo igitur octo hirudines applicatae et unguentum hydrargyri cinereum inunctum est.

Dies vicesimus.

Hoc etiam die hirudines decem loco dolenti admoverentur necesse fuit; alumen ustum suppuratione ex toto solutum, inferiori vulneris dimidio meliorem indolem conciliavit; vulnus infuso chamomillarum perpurgatum et linamento sicco deligatum est.

Dies vicesimus primus.

Dolor adauctus atque pulsans circa caput fibulae, rubor cutis saturior et sensatio, quamquam obscurior, fluctuationis in interioribus genu, suspicionem confirmarunt, aliquid intus abscessisse, quamobrem consilium cepimus, maturitatem imposito cataplasmate emolliente efficiendi doloresque, aegroto exhausto inimicissimos terminandi. Vulneris cura eadem continuebatur.

Dies vicesimus secundus.

Mitigatis doloribus, aeger per horas aliquot conquievit, attamen pavoribus intercurrentibus percussus est; sudor minus copiosus, linteorum permutationem, quae semper aegrum gravius affecit, omitti jussit; caput integrius, lingua humida et purior, venter mollis ac doloris expers fuit; alvina excretio sponte successit. Licet istae mutationes pariter ac diminuta febris vehementia spem rediturae valetudines concipi juberent, tamen haecce spes non parum est labefacta, quum eventum novi abcessus, maturitionem obviam euntis, intueremur. Suppurationis profusae, ceteroquin benignae causa, deligatio sicca iterebatur, tametsi granulatio admodum luxuriosa in superiori etiam vulneris dimidio eandem indolem recepisset.

Cataplasmata eo modo, quo supra dictum est, administrabantur, acida modo potui admiscebantur.

Dies vicesimus tertius.

Valetudo universa non minus laeta, quam die praeterito, apparuit; vulneris indoles pro rerum conditione satis bona exstitit, synoviae profluvium cessit, excoriationes circa angulum vulneris externum consanuerunt et cicatricis initium in angulo vulneris interno, ubi granulatio minus luxuriosa, sese obtulit. Inferius vulneris dimidium alumine conspersum, superius linamento sicco deligatum est.

Fluctuatio circa caput fibulae satis manifesta, dolores exigui fuerunt; cataplasmata die noctuque imponebantur, quum contenta penitius haerere viderentur.

Dies vicesimus quintus.

Quamquam febris vehementia decrevit, tamen aeger magnum erethismum et languorem conquerebatur, quoniam abscessus dolores somnum disturbarant; genu majorem temperiem, quam reliquum corpus, exhibuit, locusque dolorificus saturate rubicundus imposito digito fluctuationem luculentam sentire passus est. Haud mora lanceola in locum mollissimum est dimissa vulnusque juxta corporis longitudinem ad amplitudinem pollicis unius ac dimidii dilatatum. Evacuato pure tenui, foetido, synovia intermixto, quod commercium cum articulo suspicari jussit, rubor tendorque decreverunt et aegrotus eximium nactus est levamen; cataplasmata iterata, vulnus simplici ligatura munitum est.

Dies vicesimus septimus.

Vulnus majus laetam generatim naturam obtulit, synoviae nihil amplius profluxit, conglutinatio

circa margines fieri coepit; granulatio laxa atque luxuriosa, ingente debilitate aegroti inducta, prognosin parum mutavit, quum refectis viribus haud dubie pus melioris notae et granulatio firmior expectari posset; vulnus, ut antea alumine usto conspergebatur. Profluvium circa latus genu externum, hucusque continuatum, non mediocriter decrevit, parumque synoviae continuit. Dolor et inflammatio cesserunt, quamobrem vulnus, omissis cataplasmatibus, linamento sicco contegebatur.

Dies vicesimus octavus.

Valetudo nostri, si ab imbecillitate discedas, laetissima fuit, quapropter vires corporis, normali viscerum abdominalium functione, victu congruo firmari, necessarium esse videbatur. Proinde quotidie pauxillum vini et jusculi carnis suppeditabatur. Febris admodum decrescens, magis lenta, quam hectica apparuit; exacerbationes meridianae sudoresque nocturni desierunt, sitis nuper inimicissima, exilis fuit; vulnus haud mutatum.

Dies tricesimus.

Aeger multo placidoque somno indulsit, cibos potusque cum appetentia hausit et valetudinis mox rediturae spem exhibuit. Suspenso acido vitrioli, potibus admixto, haec imperata sunt:

Rec. Decoct. Chinae (℥ß) ℥vj
Tinctur. aurantior.
Spirit. sulph. aether. āā ʒjj

MDS. horis alternis cochlear majus sumatur.

Dies tricesimus tertius.

Valetudinis reditus instauratis viribus laete successit; quotidie sorbitio e cerevisia alba et panis triticeus reposcenti exhibebantur. Vulneris ambitus ita fuit diminutus ut diametrus longitudinalis fere transversalem aequaret; granulatio luxuriosa alumine usto coërcebatur. Profluvium vulneris minoris

ris plane desiit et granulationi firmae vegetaeque cessit; aegrotus, quamquam denegata venia, interdum in lectulo corpus commovit.

Dies tricesimus septimus.

Sublata febri, adhibita china diaetaque nutriente et roborante, aeger in dies melius convaluit, vulnus bene constitutum favit cicatricis formationi.

Mens. Sextilis.

Hoc mense, refectis corporis viribus redditaque valetudine integra, cicatrisatio prospere successit, vulnus secundum vitae indolem curatum ejusque conglutinatio eo accelerata est, quod caro luxurians, sanationi infesta, adsperso alumine submovebatur. Celerius superior vulneris pars coaluit, quae semper granulatione firmiori viguit. Circa inferiorem partem luxuries satis ingens fuit, quum pus bonae indolis parcum secerneretur. Partim dolorum defectus, partim illud, quod granulatio luxuriosa adsperso alumine usto quidem aliquamdiu, non autem ex toto supprimi poterat, nos permoverunt, ut pressione uteremur, quae ulcerum vitalitate sic constituta, summo cum fructu in caritatis nosocomio administrari solet. Proinde emplastrum consolidans *Schmuckeri* hac ratione adhibitum est:

Rec. Lapid. Calaminar.
Lithargyri
Cerussae āā ℔ß
Gum. Oliban. ℥ß
Mastich. ℥j
Ol. olivar. q. s.

Coq. ad consist. empl. dur.

Hoc emplastrum chartae, dimidii vulneris inferioris magnitudinem habenti, illiniebatur locoque dicto, halitu oris paulo tepefactum superimponebatur. Dimidium superius vino camphorato, hunc in modum parato tractabatur:

Rec. Camphorae ʒjj
Pulver. Gum. mimos. ʒjjj
Vini albi opt. ℥vjjj
M.

Deinde totum vulnus habenulis latis emplastri de cerussa satis stricte involvebatur. Haec agendi methodus, vulnere simul lapide infernali saepius tacto, optimum praestitit effectum vulnerisque conglutinationem tardam quam maxime acceleravit. Quum aeger viribus polleret seque integerrimum sentiret, exeunte mense Sextili usus decocti chinae suspensus medelaque perfecta partim naturae partim remediis localibus comissa est. Diaeta eatenus est mutata, ut aegroto caro assata, cibi leviores pomaque suppeditarentur.

Mensis Septembris.

Intra hunc mensem curatio interna plane abrogata, usus emplastri consolidantis et involutionum ex habenulis emplastri continuatus est. Sub his vulnus majus cicatricem induxit, relicto loco exiguo, numismatis 8 grossorum ambitum habente; vulnus minus perfectum obtinuit conglutinationem; valetudo universa laetissime viguit.

Mensis Octobris.

Dies decimus.

Excepto loco exiguo, vulnus induxit cicatricem, quamobrem noster sanatus haberi potuit.

EPICRISIS.

Quum unicuique aegroto, in nosodochium recepto, maximi sit momenti, pensitatis omnibus rebus, medela congrua instituatur, facile apparet, casum tam insignem, quem modo descripsi, singularem attentionem mereri. Obtrudebatur igitur quaestio, num amputatione opus esset, nec ne? Vulnus ingens articulationis tam eximiae, constitutio robusta habitusque

apoplecticus, quae inflammationem atrocissimam metus jusserunt, constipatio aegrotorum in nosocomio, itaque aër pravus et gangraena nosocomialis desaeviens, operationem ante inflammationis introitum indicare videbantur; altera autem parte habitus corporis et constitutio sperari jubebant, fore ut aegrotus febrem hecticam, certe intraturam, nec non virium jacturam, cum medendi methodo infra exposita conjunctam, snperaret. Quum meditaremur, vulnus magis incisione, quam ictu exortum, cartilagines ossaque integra, corpora aliena haud esse relicta, magnamque aperturam liberum synoviae profluvium facile pati, omissa operatione, vulneris sanationem experiri decrevimus.

Exitus in anchylosin quavis ratione praeferendus videbatur amputationi, etenim a gangraena nosocomiali haud dubie aegrotus poterat defendi; cariei autem deleteriae prohibata inflammatione occurri posse existimabamus.

Prima intentio a chirurgo urbano, ut supra dictum, tentata erat, sed frustra, etenim partium tendor ingens, suturarum rupturam minitans, has protinus submoveri jussit. Nihil igitur restabat, quam ut curatio per suppurationem efficeretur. Cardo rei in eo verti videbatur, ut inflammationi imminenti cura antiphlogistica efficacissima occurreretur, vel eatenus illa temperaretur, ut articulum non afficeret, sed vulnere limitaretur. Quibus omnibus administratis, aegroti salutem feliciter restitutam vidimus. Quid aegro post longius tempus acciderit, indicare quidem nequeo, attamen veram anchylosin arbritror vix remansuram, ossa enim articuli summa gaudent mobilitate, quod experimentis caute institutis mihi persuasi. Prosperum hunc eventum posse sperari,

e multis concludo exemplis, quibus gravissima articulorum vulnera feliciter sunt sanata. —

Liceat mihi, pauca quaedam de aëris introitu in vulnera articulorum adspergere. — Haud dubie plerique chirurgi, nimis solliciti, aëris intrantis noxam debito majorem existimant, quod ex omnibus compendiis chirurgicis liquet. Imo fere credideris, chirurgos eapropter ligaturam rarius mutare, ut aëris introitum arceant; at jam pridem extiterunt chirurgi, qui nimiam hujus rei aestimationem detrectarent. *Richerand* enim (nosographie chirurgicale etc. edit. 4. Tom. III. pag. 171) de articulorum vulneribus disserens, haec habet:

„L'ouverture de la capsule synoviale caractérise ce genre de blessures long-temps réputées excessivement graves, parce que l'on croyoit que les ligamens, les tendons, les parties blanches ou spermatiques, comme le disoient les anciens, jouissoient d'une exquise sensibilité. Depuis que les expériences de *Haller* leur ont ravi ce privilége, on a cru que le danger des plaies aux jointures dérivoit de l'admission de l'air dans les cavités articulaires; mais déjà plusieurs chirurgiens avoient jugé cette cause d'irritation moins grave qu'on ne le présumoit. *J. L. Petit*, entre autres, s'élevant audessus des erreurs communes de son temps, donne le précepte d'ouvrir largement les dépôts des articulations sans craindre d'y favoriser l'introduction de l'air par ces grandes incisions. etc."

Aëre vacuum esse nequit vulnus, etenim quo momento vulneratur articulus, cum aëre contactum subit; quaeque deligatio, etiamsi celerrima, aëris vicissitudinem inducit; nescio etiam, numne aër deligatione celeriori aut rariori inclusus, plus damni inferat puro? Tantum abest ut unumquodque vulnus articulorum apertum habendum, aërisque vicissitudinem quam saepissime efficiendam existi-

mem, ut modo aëris accessum non nimis metuendum dicam, quod exemplo supra descripto mihi persuasum. Initio vulnus omni caruit ligatura et quavis fomentorum glacialium mutatione, quae creberrima et, quum famulae essent demandata, non nimis cito instituebantur, aëris accessui patere oportuit. Postea quum Illustr. *Rust* fere quotidie aegrum ad scholas clinicas deposceret, ligatura, priusquam ad lectulum accedebatur, demta vulnusque non modo inter demonstrandum, sed etiam aliquamdiu post, aëri submissum est. Erunt fortasse, qui objiciant, abscessum hacce causa esse exortum, quod, quamquam probabile videatur, vero consentaneum non esse, persuasum habeo. Quodque articulorum vulnus magna opportunitate ad inflammationem fertur, cui tantum methodo antiphlogistica efficacissima, si vulnera incisa aut caesa sunt, occurri potest. Hoc nostro obtigit, nec quidem dubito, abscessum prohiberi potuisse, si methodum antiphlogisticam diutius continuare licuisset. Ex toto quidem inflammatio non fracta fuisse videtur, quum dolores, circa vulneris ambitum sublati paullo post circa fibulae caput locum fixum obtinerent. Febris hectica, virium prostratio ipsiusque vulneris atonia ingens, ut ab interioribus articuli partibus discedamus, remediorum antiphlogisticorum usum restringi deinque suspendi jusserunt, quo factum est, ut fomes inflammatorius, intrinsecus gliscens, novas flammas conciperet, abscessumque fingeret, qui exitus ejusmodi inflammationibus communis esse solet.

VITA,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTA.

Ego CAROLUS JULIUS THEODORUS SYDOW patre optimo, praematura morte mihi jam erepto, OTTON. FERDINAND. SYDOW et matre e gente MÜNCHENBERG, qua optime valente adhuc gaudeo, natus Berolini die decimo quinto mensis Aprilis A. MDCCCVI, Evangelicae confessioni sum addictus. Primis litterarum et linguarum elementis in schola Charlottenburgensi instructus, undecimo anno peracto Berolinum me contuli, et discipulorum numero Gymnasii Berolino-Coloniensis, directore Illustr. BELLERMANN florentis, adscriptus, ubi sex per annos litteris incubui, quae ad academica studia viam muniunt. Anno MDCCCXXIV M. Octobr. in numerum civium instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus, ut cursum mihi praescriptum absolvam, hisce interfui summorum virorum praelectionibus:

Illustr. LINK de botanice, historia naturali et toxicologia; Cel. WOLFF de logice et psychologia; Illustr. RUDOLPHI de Encyclopaedia medica, anatomia universa, comparata, organorum sensuum atque physiologia; Illustr. KNAPE de osteologia, splanchnologia, syndesmologia et de arte formulas medicas concinnandi, disserentes audivi; in arte cadavera rite dissecandi Illustr. RUDOLPHI et Illustr. KNAPE duces mihi fuerunt. Praelectiones Cel. ECK

de physiologia, Illustr. OSANN de materia medica et balneotechnice audivi, Illustr. HERMBSTAEDT de pharmacia, Cel. TURTE de chemia, physice et pharmacia; Illustr. FR. HUFELAND de pathologia generali, semiotice ac therapia et generali et speciali; Illustr. HORN de pathologia speciali, de morbis mentis et syphiliticis; Illustr. KLUGE de Chirurgia generali, de morbis ossium mechanicis, de arte obstetricia et de arte fascias rite imponendi; Illustr. DE GRAEFE de akiurgia, Illustr. RUST de chirurgia universa et cursu operationum una cum Illustr. KLUGE; Perillustr. GUILELM. HUFELAND de therapia tam generali quam speciali disserentes frequentavi, neque abfui exercitationibus clinicis Perillustr. HUFELAND, Illustr. NEUMANN, Illustr. DE GRAEFE et Illustr. RUST.

Studiis hisce peractis medico-chirurgi inferioris munere in nosocomio Caritatis Berolinensi per annum functus sum.

Jam vero tentamine examineque rigoroso, coram gratiosa medicorum facultate legitime absolutis, spero, fore ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Quibus factis Risenburgam, ut medico-chirurgi turmalis officiis satisfaciam, me conferre iussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Suicidium non nisi in insanis occurrit.

II.

Omne remedium est specificum.

III.

Ulcera syphilitica primaria non semper Calomel sanari possunt.

IV.

Idea fixa nunquam deleri potest.

V.

Vaccinatio, etiamsi infantes variolarum infectioni jam expositi sunt, semper instituenda.

VI.

Acari non sunt scabiei causa.

VII.

Ad maniam tollendam curatio psychica non sufficit.